





B. N.
309.

Xm. 195.

7
DISPUTATIO
DE
SIMPLICIUM
MEDICAMENTORUM
FACULTATIBUS
VI.

*Ex Capitibus 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.
17. 18. & 19. Libri secundi Galeni de sim-
plicium medicamentorum facultati-
bus deprompta:*

ET
Publici exercitij gratia in inclyta Argen-
toratensium Universitate proposita

à
MELCHIORE SEBIZIO,
DOCTORE ET PROFESSORE
Medicinæ, Comite Palatino Cæsareo, ac
Reipubl. Archiatro: h. t. Universit.
Rectore.

Respondente
MARTINO CHRISTOPHORO
Medger/VIENNENSI AUSTRIACO.

ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPPE.
M. DC. XLVIII.



VIRO

NOBILITATE, VIRTUTE, RE-
rumque usu præstantissimo,

DN. ABRAHAMO SANGER,
Sacrae Cæsar Majestati à servitiis; eju-
demque Aulæ rei aromatariae Pro-
vifori fidelissimo : DN. Parenti suo
filiali pietate & amore prosequendo,

*Has qualescunqae studij sui
Medici primitias*

In

*Grati animi symbolum, de-
bite observantiae tesseram,*

Et

*Ulterioris benevolentiae ac
beneficentiae memoriam*

offerz & consecrat

MARTINUS CHRISTOPHORUS
Wegger / Viennens. Austr.



PROBLEMA

I.



Uæ sit vera & legitima ratio investigandi medicamentorum facultates? Eam Galenus precedenti libro edocuit: sed hic paucissimis repetit. Cum medicamentorum facultates explorare animus est, inquit, explorare illas oportet in ijs simplicibus, quæ sunt omnis & mixtionis, & alienæ atque extraneæ qualitatis expertia: eaque primùm experiri in corporibus optimè constitutis: deinde in intemperatis: tum in morbis simplicibus. Semper autem distinguendum id est, quod sit κατὰ τὸ μὲν, ab eo, quod sit πρὸς τὸ καὶ κατὰ τὸ ἐκ. Dictum enim, simplicia quædam quosdam producere effectus per se, quosdam per accidens; veluti Aquam, quæ per se refrigerat, per accidens verò calefacit: claudendo poros, ne calor internus expiret, & repellendo calorem expiraturum ad interiora. l. 2. c. 9. Vide sis Coroll. 9. disp. 2.

II.

Sufficiâtne hæc nôsse ad investigandas simplicium facultates, an etiam necesse sit, ut affectus, quorum causa simplicia usurpantur,

L 2

eorum-

eorum causæ cognitæ sint atque perspectæ? Respondet Galenus, omninò necessarium esse, ut etiam affectuum natura & causæ sint explorata. Aliàs nihil certi, neque de Olei viribus, quod hîc exempli loco propositum est, neq; de aliorum simplicium facultatibus statui posse. Quod ut manifestum fiat, hunc in modum declarat. Etenim, omnes in eo consentiunt, oleum lassitudines sanare. Verùm, in declaranda earum natura & causis quàm maximè discordant. Alij enim asseverant, lassitudinem esse siccitatem articulorum, quæ sit ex crebro eorum motu contracta. Quidam perhibent, & articulorum, & musculorum siccitatem esse. Nonnulli dicunt, esse multam humiditatem, & tensionem, & caliditatem, quam fluxio, quæ ob partes vehementer agitata excitata est, pepererit. Aliqui persuasum habent, non humorum quantitatem & copiam, sed solam qualitatem lassitudinis causam esse, quæ provenerit ex immoderatis corporis exercitiis. Hæc enim in causa esse, ut & pinguedo, & tenera caro liquetur, cujus colliquationis pars foras transpiret, pars verò in corpore retineatur: hancque partem, cum acris sit & mordax, ulcerosam inducere lassitudinem. Itaque, licet omnes in eo conveniant, quòd oleum lassitudinibus sit remedio, quia tamen de earum natura & causa diversimodè judicant, certi aliquid de olei viribus pronunciarè nequeunt.

Eadem ratio est, si oleum vel doloris, vel mordicationis

cationis, vel inflammationis curandæ gratia, aut
bibendum offeratur, aut per sedem infundatur,
aut foris dolentibus partibus affundatur. Nam in
ulceribus phlegmone tentatis non solum, sed cum
aqua moderate calida affundimus, quemadmodum
id in lassitudinibus cum balneo equæ dulcis ad-
hibemus. Cum idem vel per anum ingerimus,
vel bibendum damus, ne tunc quidem ἐναργῶς,
evidenter scimus, cuinam corpori applicandum
sit, an pituita, an bile, an alio aliquo excremen-
tatio humore referto? Constat enim atque in
confesso est, non perinde hominem affecturum, si
& ventrem, & omnia intestina glutinosa pitui-
te plena invenerit, atque ubi ea vel biliosis ex-
crementis, vel aliis quibusdam acris humoribus,
vel multis facibus, vel nulla harum superfluita-
tum onusta, sed undiquaque pura, aut præter-
quam quod pura, etiam exasperata repererit.

Ex dictis igitur sic ratiocinari licet.

Quarum rerum cognitio utilis est & necessa-
ria ad investigationem facultatum in simplici-
bus, illæ merito cognoscendæ sunt. At cognitio
affectuum, quibus simplicia mederi debent, &
quorum causa illa usurpantur, ad indagacionem
facultatum in simplicibus est utilis & necessaria.
Ergo affectus merito cognoscendi sunt.

Minor probatur. Q. facit, ut sciamus, num
simplicia obsint, aut prosint, id ad indagacionem
facultatum in simplicibus utile est & necessarium.
At affectuum cognitio hoc facit. Ergo. I. 2. c. 10.

III.

Quæ sint causæ, quod Medici plerique
 perperam de simplicium viribus judicârint?
 Prima causa est, quod methodum investiganda-
 rum facultatum problem. I. propositam non
 observârint. Secunda, quod affectuum naturas
 & causas ignorârint. Tertia, quod quo pacto
 simplicia, & in specie oleum, de quo hic præcipue
 exempli causa agitur, affecto homini exhibendum
 sit, & quale nam sit, minimè habuerint perspe-
 ctum. Alij enim affirmarunt, oleum mordax
 esse, & internas corporis partes corrodere. Non-
 nulli verò docuerunt, etiamsi præfuerit mordi-
 catio, oleum tamen illam lenire. Non enim pa-
 rum interest, an injiciatur in aluum pituita sca-
 tentem ἀνάλογον, h. e. salis expers, & quod ὄλιον,
 revera oleum est, purum, merum, & sincerum: an
 quod plurimum salis accepit, in ventrem purum
 immittatur? Vtrumque enim aluum subducit:
 verum diversis facultatibus. Nam quod salis est
 expers pituitosum ventrem movet διὰ τὸν ὀλίον,
 ob lubricitatem, nimirum eodem modo, quo mal-
 va, blitum & mora illam movent. Quod verò sal-
 sum est, in puro ventre διὰ τὴν δριμύτητα, perin-
 de ut ἄλμη, muria, & aqua marina. Et sanè hoc
 quidem radet: alterum nequaquam. Proinde
 absolutè dicendum non est, quodvis oleum inter-
 nas partes corrodere, aut dejectiones moliri
 cruentas, neq; mordicationes lenire: sed id, quod
 ἀλώδες, salsum, in puro ventre radere: ἀνάλογον,
 verò, insulsum, in puro nequaquam.

EX

Ex quibus colligitur, eum, qui de olei facultate aliquid statuere intendit, discernere debere affectus hominis, & de oleo, quale sit, praefinire: l. 2. c. 11.

IV.

Utrum balsuginosa & acria morsui quandoque medeantur; dulcia verò & ἐπιπερασινὰ, ἢ ἐπιπεράνυλλα, contemperantia, interdum mordicationem exasperent? Ad prius responderet Galenus affirmando, quòd scil. balsuginosa quae sunt, aliquando in dūξeis, ventris morsus faciunt, sed per accidens, quemadmodum & μελί-
αγῶλον, aqua mulsa, muria, serumque lactis.

Probat hoc sequenti argumento.

Q. educunt humorem mordicationem creantem, ea mordicationi medentur. Hoc faciunt balsuginosa & acria. Ergo morsui medentur.

Minor stabilitur hoc syllogismo. Q. abluunt atq; abstergunt, ea succos mordicationem creantes educunt. At balsuginosa & acria abluunt atque abstergunt. Ergo succos illos educunt.

Ad posterius respondet per distinctionem. Etenim, medicamenta ἐπιπερασινὰ vel prepollent, suntque mordentibus humoribus valentiora: vel robustioribus pharmacis aliis, aut multis in parva quantitate permista sunt. Illa morsum acrium humorum obtundunt, morsusque minuunt, quia sunt fortiora & propterea vincunt. Hec, quia infirmiora sunt, & vincuntur, unà cum humorib. acrib. corrumpuntur, & κακοχυμίαν fovent.

Propterea protinus evacuandi sunt illi humores, qui à medicaminibus contemperandi vim habentibus irritantur. Corrupti enim sunt plurimum, & ejusmodi corruptione laborant, quæ facile tolli nequit. l. 2. c. 12.

V.

Utrum medicamenta acria & falsuginosa, quæ morsus ventris sedant, non per se, sed per accidens, educta morsus causa, statim, ubi immissa sunt, morsus compescant? Respondet Galenus negando: imò tantum abesse dicit, ut illos protinus tollant, ut etiam eos exasperent. Probat hoc tali ratiocinatione.

Quæ non vi ἐπιεργασικῆ, attemperatoria, sed vacuatoria solum morsus auferunt, ea non necessario ubi ingesta sunt, morsus illos protinus auferunt. At medicamenta acria & falsuginosa morsus delent, non per se, & virtute ἐπιεργασικῆ, sed facultate evacuatoria. Ergo.

Morsus ventris non illico auferunt, & statim ubi sunt immissa. l. 2. c. 12.

VI.

Leventné illa remedia statim ventris morsus, quæ virtute ἐπιεργασικῆ pollent? Omnino, siquidem acres & mordaces humores, à quibus morsus illi oriuntur, vincant. Probat hoc Galenus experientia. Nam quibus ἐπιεργασικῆ, v. g. oleum dulcissimum, aut ceratum ex rosaceo & pinguedine, aut ceratum ex oleo dulci, aut tale quid infusum fuit, illico à morsibus ventris liberati

rati sunt. Testatur quoque Galenus, quibus
ob frigus interiora doluissent, ingesto oleo calido,
à dolore factos esse immunes. Quodsi intempe-
ries frigida fuisset intensior, & oleum redditum
calidius admistione anethi, ruta, bituminis &c.
mox etiam à dolore fuisse vindicatos, Si quæ-
ras, quam virtute tales fuerint restituti?
Respondet, non virtute ἐπιχραστική, neq; κενώτική,
sed ἀλλοιωτική, quoniam medicamenta modò re-
censita, intemperiem partium frigidam immutâ-
rint. Sed hasce distinctiones non observasse di-
cit plerosque Medicos. Ideoq; confuse proposuisse
remedia torminibus & moribus ventris opem fe-
rentia. Non enim novisse dolorem ab intemperie
ortum ab eo, qui ex κακοχυμία natus est, distin-
guere; neque perspectum habuisse, medicamina,
quæ doloris sedandi gratiâ injiciuntur, varia esse
& multiplicia: & alia partem refrigeratam ca-
lesfaciendo, alia mordicantem humorem evacuan-
do, alia acrimoniam eius & mordacitatem con-
temperando dolorem sopire. l. 2. c. 12.

VII.

Sintne ista ventris tormina tantum ab una
& simplici aliqua causa, v. g. vel intemperie
frigida, vel κακοχυμία acri atque mordaci
profecta? Negatur. Nam aliquando in hisce
torminibus gemina se offert causa, nempe δυσ-
κρασία & κακοχυμία. In illis ergo Galenus non
uno & simplici, sed composito usus est remedio.
Pro evacuatione quidem κακοχυμίας presidio va-
cuante:

L S

cuante:

cuante : aut, si tantum ad dolores & tormina
respexisset, voluissetque una eademque opera &
intemperiem corrigere, & acrimoniam humorum
contemperare, calefaciente, vel refrigerante, &
ἐπιχερασικῶν, mitigante, leniente, seu attemperan-
te medicamine. Sumebat igitur v. g. oleum ane-
thinum, aut ruta, in eoq; liquabat adipem anse-
rinum, vel gallinaceum, vel alium aliquem: vel
etiam in horum defectu ceram mordacitatis ex-
pertem, qualis est lota: aut hujus loco oleum,
quod album factum, infundebat. Hoc enim ce-
ra mordacitatis & acrimonie experti est ἀνάλο-
γον, l. 2. c. 12.

VIII.

Quid ex his colligendum? Temerariam &
indefinitam eorum esse pronunciationem, qui asse-
verare audent, omne oleum omni tempore δακ-
νώδες, mordax esse. Similiter & illorum, qui
docent, omne oleum esse παρηγορικόν, leniens, mi-
tigans, doloremque demulcens. Distinctione enim
hic opus est, dicendumque, τὸ ἀλμῶδες, oleum,
quod salem accepit, esse mordax: τὸ δ' ἀναλον,
quod salis expers, & dulce, παρηγορικόν ὅσον ἐφ'
ἰαυλῶν, leniens esse & attemperans, quantum ex
se est. Ratio est: quoniam videri possit, & ipsum
quandoque pro affectibus, quibus adhibetur, tale
non esse. Etenim tale oleum, quod ἀναλον & dul-
ce, & in universum quodvis ἐπιχερασικόν, vel vin-
cit, vel vincitur. Si vincat, & humoribus acri-
bus atque mordacibus sit fortius, morsum eorum
retun-

retundit. Sin vincatur, quod fit, si aut valentio-
ribus, aut multis in parva quantitate fuerit
permistum facultatibus, una & ipsum corrup-
pitur, atque ita κακοχρησίαν alit augetque,
non per se, quia dulce & temperans; sed per
accidens solum, quoniam vincitur, & ab admistis
pharmacis, & ab acris humoribus, dolores &
tormina ventris excitantibus, quorum causa cor-
ruptionem patitur. l. 2. c. 12.

Hoc ergo duplex documentum ex dictis
memoria insigendum est: Primum, non omnia,
que mordicationes tollunt, mordacitate carere.
Deinde, non omnia, que mordacitatem augent,
mordacia esse. Prioris hæc est ratio: quoniam
multa mordacia quidem sunt, hancque ob causam
morsus intestinorum, aliarumque partium per se
augent, cuiusmodi sunt μελιχρᾶλον meracius, b. e.
aqua mulsa, cui multum mellis est additum (est
enim & dilutius, quod parum mellis habet, ac ob
id non adeo strenue, ut illud, abstergit) salsugo
& serum lactis caprini. Verum, cum causam
mordicantis doloris abstergendo abradendoque, eva-
cuent, per accidens mordacitatem tollere dicun-
tur. Mordacia igitur sunt per se, & tamen mor-
dacitatem auferunt, sed per accidens, quoniam
causam illius educunt.

Posterioris ratio est: quia interdum que
mordacia per se non sunt, sed ἐπιχρηστικά καὶ
καρπορική, alias ἀνώδυνα appellata, ut oleum
dulce, pinguedines, ptissana, amyllum &c. morda-
cita-

citatem augent, sed per accidens solùm; quando
scil. vincuntur, & à vitiosis succis, morsuum
causis, corrumpuntur. Sic enim qualitatem κακο-
χυμίας asciscunt eamq; augent.

I X.

Sitné eadem etiam Lactis conditio, ut per
se quidem sit ἐπικερασικόν, per accidens autem
δακνῶδες? Omnino. Per se enim mordax non
est, sed παρηγορικόν καὶ ἐπικερασικόν, ἢ ἀνώδυνον;
per accidens verò, quando victum, & à vitiosis
humoribus corruptum, aut quando aliàs vitia-
tum, mordax est. Frequenter enim simul atque
sumptum fuerit, in aliis ὀξύταται, acescit, in aliis
αἰσθηταί, in nidorem vertitur; & quidem prius-
quam probè concoctum τὴν διαφθοράν, corruptio-
nem temperet. Propterea in istis primùm maxi-
ma pars κακοχυμίας expurganda est: postea ci-
bus ἐσχυμῶ offerendus.

Si roges, an propterea, quòd quaedam miti-
gent morsus ventris, rursusq; illos excitent, omnia
in universum aut deteriores, aut contrarias pla-
nè in sese facultates habeant? Respondet Gale-
nus negando; tametsi libenter concedat, & etiam
probaturus sit in sequentibus, rebus quampluri-
mis multas diversasque facultates inesse: exupe-
rantem tamen cognosci posse ab eo, qui id, quod
est per se, ab illo, quod per accidens est, rectè
distinguit. Illustrat hoc documentum tali exem-
plo. Fingantur enim homines duo, quibus simi-
liter orificiam ventriculi mordicetur, & qui pa-
riter

riter vel succum ptissanae, vel χόνδρον, h. e. aliam, quae ex tritico, aut zea conficitur, vel panem lotum sumpserint. Sed rursus ponatur, alteri mordicationem fuisse restinctam, alteri vero inauctam. Iam quaeritur, an succus ptissanae, aut χόνδρον, aut lotus panis, per se mordax sit, per accidens autem in altero hominum morsum non modo non inauxerit, sed mitigarit: an per se quidem mitigarit, per accidens vero in altero irritarit? Galenus sane persuasum habet, hac omnia, & lac quoque ipsam, ἐπιπερασίνα esse: in altero vero morsum stomachi auxisse per accidens, eo quod a corruptione fuerint superata. Probat placitum suum primum auctoritate veterum, & optimorum etiam neotericorum Medicorum, qui omnes ita sentiunt.

Deinde, quod illi, qui ajunt, χόνδρον, panem lotum, aut ptissanam, per se & ex natura sua corruptiones augere, per accidens autem mitigare, nullam omnino assertionis suae demonstrationem adferre possint.

Tertio etiam hoc argumento. Si ptissana esset κακόχυρον καὶ δακνώδες, haud unquam mordicationem leniret. At hanc lenit saepius, tum per os sumpta, tum per sedem injecta. Ergo κακόχυρον καὶ δακνώδες non est: scil. per se, & per naturam suam. Per se enim est εὐχύνον καὶ παρηγορικόν. Quod autem interdum mordicationem auxerit, id per accidens factum, quoniam τῆνὰ cum ijs humoribus vitiosis, qui mordicationes

nes

nes excitabant , corrupta fuit. l. 2. c. 13.

X.

Quot modis mordicatio curetur, & quomodo mordacia, quæ per accidens mordicationem leniunt, ab illis differant, quæ id præstant leniendo, ἐπικερασινὰ nuncupata? Mordicatio, ut constat ex precedentibus, tollitur tribus modis. I. materiam acrem & mordacem auferentibus. II. intemperiem corrigentibus. III. materiam acrem mittigantibus & demulcentibus.

Differunt autem mordacia, quæ per accidens mordicationem tollunt ab epiceraisticis, seu pargoricis, quatuor modis. Ideoque quatuor etiam indiciis ea, quæ per se leniunt, ab ijs, quæ hoc faciunt per accidens, discernuntur. Etenim, si remedia adhibita non statim morsus mitigent, sed potius mordeant: si deinde simul cum ledentibus evacuentur: si tertio, posteaquam evacuerint, & mordicationem sustulerint è medio, asperitatem quandam in partibus reliquerint: si quarto ipsismet egrotantibus non videantur ad eò utilia & commoda esse, eò quòd cum quadam difficultate & molestia medeantur, indicium est, rodentis & mordicantis esse nature, sed ex accidente morsus sanare. Quod si verò illico morsus mitigent, & nullam tamen excretionem provocent: adhuc nec exasperent, dum intus manent, imò exasperatis auxilientur partibus: deniq, quæ natura bona sint, verum interdum à κακοχρησίᾳ, que

que ipsa alterat atq; corrumpit, mordacia fiant, signum est, mordicationem ab epiceraisticis & paragoricis fuisse sanata; cujus generis sunt ptissanae succus, χόνδρον, ἰπάριον (qui inter fruges numeratur, figura similis χόνδρον, h. e. alicae) lac, panis elotus, pinguedo, serum, oleum dulce, ceraq; dulcis, quae & natura dulcis (quaedam enim gustantibus amara est) & quae praeterquam quod natura dulcis est, in aqua bona est elota. Haec enim εὐχόμενα sunt, & γλυκόμενα, protinusque mitigant dolorem mordicantem, nec tamen causam morsus educunt: nullum praeterea sensum asperitatis inducunt, sed eam potius curant. Quo nomine & comedenda offeruntur, & per anum immittantur, ubi nimirum causa mordicationis vel melle, vel alio remedio fuerit extersa. l. 2. c. 14.

XI.

Cum aliquoties jam cerae, olei, aliorumque medicamentorum elotorum & candefactorum mentio facta sit, quaeritur, quomodo medicamenta lavanda & alba reddenda sint? Lavanda sunt, inquit Galenus, non modo cera & oleum, sed etiam pix, resina, & alia, quae aquae minimè miscentur.

Modus autem lavandi & dealbandi est iste. Simplex primum modicè est calefaciendum: deinde in vas magnum ampliq; oris coniiciendum: tum aquae purissimae, & omnis alienae qualitatis expertis copia superinfundenda. In hac enim
omne

omne illud, quod abluatur, acrimoniam suam
exuit. Quarto, conterendum, tundendum, fran-
gendum, manibusque strenue subigendum, ut una-
queque medicamenti abluendi particula aquam
contingere queat. Quinto, prima aqua effun-
denda, medicamen, quod abluendum, iterum ca-
lesciendum, & in aliam aquam, aequè since-
ram, puram & claram, ac erat prior, immitten-
dum, similique modo diutissime conquassan-
dum, donec qualitatem suam in aquam deponat,
quod ex sapore facile perspicies. Sexto, quae jam
dicta, tertia, quarta, pluribusque vicibus repeten-
da, donec aqua nullam prorsus ex abluto medi-
camine qualitatem in se habeat amplius: hacque
ratione omnia, quae calesceri & fundi possunt, la-
vanda.

Lapidosa verò, duraque corpora, qualia sunt
cadmia, eris squama, es ustum &c. primum
exactè conminuenda sunt: deinde plurimum in
aqua fontali & limpidissima subigenda, priori
aqua subinde rejecta, quoad nihil aquae innatet,
fiatque aqua à contriti medicaminis qualitate
prorsus aliena & immunis. Nam quamdiu ali-
quid aut qualitatis ejus in sapore apparet, aut
aliquid innatat, tamdiu medicamen tundendum
& subigendum est, priorque aqua semper effun-
denda. Hoc pacto si quae lavari possunt, abluas,
acrimoniam & mordacitatem suam amittent.

Oleum verò non solum mordacitatem suam
deponet, sed etiam candidius evadet. Oportet
autem

autem ipsum non perinde vehementer percutere,
ut picem, ceram, aut resinam, ne scil. aded aqua
miscetur, ut postea agrè ab eo separari queat:
sed ita, ut ubi id paulisper quiescere permiseris,
facile possis innatans detrahere.

Alij modi dealbandi oleum videantur apud
eos, qui de præparatione medicamentorum libros
confecerunt, & maximè apud Dioscoridem, sed
plerique in eo primùm, quod est aqueum & ru-
fum, consumunt: post reliquum efficiunt album.
Dioscorides autem id candidum facit, abluen-
do, veluti ipsum abstergendo detergendoque. l. 2.
c. 15.

Atque hoc modo Galenus lavat tum li-
quida, tum solida simplicia: non scil. omnia, sed
ea solum, quæ cum aqua minimè miscentur. Vi-
num enim, lac, aut acetum, aut similes liquo-
res lavari hoc modo nequeunt. Estque hæc ab-
luendi ratio in praxi summè utilis & necessaria,
ut medicamenta, præsertim metallica, quæ acris
sunt & mordacia, & vel oculis, vel ulceribus, vel
vulneribus admovenda sunt, suam acrimoniam &
mordacitatem exuant, mitioraque reddantur.

XII.

Utrum oleum mordax sit? Non de quovis
oleo hic queritur, sed de illo communi, quod κατ'
ἔξοχὸν oleū dicitur, quia tam in Medicina, quam
in Culina, usu frequentissimum est, & maxima
in copia habetur, quodque ex olivis exprimitur:
nec tamen etiam de quovis, sed tantum de illo,
M quod

quod dulce est, & ex maturis olivis elicatum, accuratèque lotum. Est enim & omphacinum, h. e. crudum, quod ex immaturis extractum olivis, vig. adstringendi pollet. Est etiam, quod cum sale preparatum. Est denique recens, & velut etiamnum ζέον, fervens. Oleum ergò, quòd ex maturis provenit olivis, quod dulce, quodque exquisitè lotum, neque potum, neque infusum mordacitatem in se habere Galenus statuit.

Contrarium docuit Archidamus, hoc nixus fundamento, quoniam oleum tussim moveat. Galenus respondet dupliciter; primùm hoc argumento. Si non omnia, quæ tussim cient, mordacia sunt, neque oleum necessario mordax erit, non obstante, quòd tussire faciat. At non omnia, quæ tussim cient, sunt mordacia. Ergo neque oleum necessario mordax erit, tametsi tussim excitet.

Deinde hoc syllogismo. Si non sola mordacia ad tussim homines stimulant atque irritant, sed etiam alia, v. g. quæ pingua sunt, sequitur, oleum mordax non necessario esse. Atqui non sola mordacia homines ad tussim irritant, sed etiam pingua corpora, uti mox ostendetur. Ergò oleum mordax necessario non est.

Prolixè igitur & ad formam, & ad materiam argumenti Archidami respondet.

Ad formam, ostendendo, quomodo in secunda figura ex puris affirmativis affirmativam conclusionem intulerit. Quomodo item ex puris particularibus fuerit argumentatus. Quomodo tertio loco

loco putârit, propositiones quasdam esse ἀντιστρέφουσας, mutuò convertibiles, quæ tantùm sint ἀναστρέφουσαι, & convertantur per accidens.

Ad materiam verò, considerando, quòd etiam alia ratione fieri possit excitatio tussis, quàm acrimonia & mordacitate, nimirùm per adhibitionem corporum pinguium. l. 2. c. 17.

XIII.

Qua igitur ratione, quove modo pinguia corpora tussim moveant? Respondet Galenus, animal ad tussim impelli facta inequalitate quadam præter naturam in arteria asperæ interna superficie. Etenim, spiritus per puram lævemque semper viam ferri est consuetus. Ideòque, si quando in eminentia quædam impingat, quasi-
sationem quandam, ac veluti concussionem in aspera efficit arteria, atque ita animal ad tussim irritat. Nam quemadmodum Natura ἀλλὰ πολλὰ σὺνγενίας ἐνεκα σύμφυλα πάθη, multas alias congenitas passiones animalibus indidit, ita quoque & sternutationem, & tussim iisdem implantavit. Illam quidem, ut quæ naribus infesta sunt, propellerent. Hanc verò, ut excernerent, quæ gutturi essent molesta.

Si roges, quotuplex illud sit πάθος, sive διαθεσις, ob quam tussire homo cogatur? Respondet, duplicem esse. Vnam, resiccata[m] exasperatamque interiorem arteria asperæ membranam. alteram, inaequale per illam corpus delatum, sive liquidum sit, sive solidum. Probat hoc experientia.

M 2

Nam

Nam sive panis micula, aut alterius cujuscumque corporis edulis parva particula in asperam arteriam, quæ spiritus est semita, decidat, tussire cogimur: sive nobis bibentibus potus quippiam affatim in illam influat, similiter ad tussim incitamus. Percolatur enim semper per asperam arteriam in pulmonem exile quippiam potus, ut protinus ab instrumentis raptum facile quocumque distribuatur, nec tamen usquam acervatim in spiritus tramite, h. e. arteria aspera, consistat, neque animal ad tussim irriter. At ubi vel id ipsum plusculum, vel aliud quippiam, seu liquidum, seu solidum sit corpus, in arteria aspera defertur, jam inde tussire est necesse, donec à spiritus egredientis vehementia, quod molestat, propellatur.

Simile quid huic accidit, quando in membranam arteriæ asperæ interiorem spiritus impingit, nisi quod hæc affectio alia à jam dicta sit. Nunc enim ab arteriæ membrana aufertur abraditurque aliquid: intus verò aliquid adheret, in affectu priore. Vtriusque autem communis est spiritalis viæ inequalitas, de quibus fusius in opere de caus. sympt. actum.

In presentia novisse sufficit, quod mordacia tussim moveant τὸ ἰερὸν ἰνὸν φάρυγγα, exasperando arteriam asperam: oleosa autem & pinguis τὸ περιπλάττειν, illinendo inequalitatem & tussim excitent. Quicquid enim ἐξω τῆς φάρυγγος in gutturi tunicam interiorem incidit, tenaciterque illi inhaeret, & deinde organis ipsis,
& spi-

& spiritui, qui per ea defertur, ἀνθεῖς, insolens
quid est, & animanti quoque λυπηρὸν, mole-
stum.

Quodsi quæras, num olea in universum
omnis prorsus sint mordacitatis & acrimonia ex-
pertia? Respondet Galenus, pleraque olea mor-
dacia est. Nam & quæ admistum saltem habent,
& quæ planè sunt recentia, ea omnia quoque
mordacia sunt: verùm ἢ διὰ τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἰ-
αίαν, non propria sua essentia, sed quòd authore
Theophrasto omnibus plantarum succis gemi-
num insit excrementum, unum crassius & terre-
strius, alterum tenuius, & quasi aquosius. Propte-
rèa utrumque etiam oleo inest, ad σύμπεψιν τοῦ
καὶ διάκρισιν, concoctionem & secretionem tem-
pus postulans. Progressu verò temporis alterum
ὕψισται, subsidet, nempe quod est γεώδες καὶ πα-
χύτερον, terrestre & crassius, ἀμόργη, amurca, fax
& limus olei nuncupatum: alterum autem, quod
est λεπτότερον, καὶ οἶον ὑδατώδες, tenuius &
quasi aquosius, quodammodò ipsum ex aëria &
tenui serosa substantiâ compositum, ἐκδαπανᾶ-
ται, consumitur. l. 2. c. 17.

XIV.

Quot modis aqueum & tenue excremen-
tum ab oleo separari queat? Eum in finem
ὀππῶδες, serosum istud excrementum ab oleo sepa-
rat Galenus, ut oleum, quod natura sua ἀδνηκλον
est, mordacitatis expert, καὶ λευκὸν, album & dul-
ce, candidius dulciusque evadat. Excrementum

M 3

namq;

namque illud est $\epsilon\upsilon\pi\acute{\rho}\acute{o}\nu$ $\tau\acute{\iota}\nu$ $\chi\rho\acute{o}\alpha\nu$, coloris rufi: utpote à crasso illo terrestrique subsidente qualitate abstersum. Separatur autem modis multis, ut dealbetur.

Primus est, si oleum in vasculum oris latioris coniciatur & insoletur, subindeque desuper cum strepitu conturbetur.

Secundus, si vasculis oleo refertis calidi cineres subijciantur. Sic enim Solarem imitamur calorem. Intensio rem calorem vitamus, quoniam oleum in qualitate mutat, nidoremque excitat.

Tertius, si nuclei olivarum, aut $\sigma\acute{\iota}\tau\omicron\nu$ frumentum, circumcirca apponatur.

Quartus, si medicamenta quaedam vasis injiciantur.

Hi & alij modi dealbandi oleum eò spectant, ut calor moderatus & Solari similis paretur, qui tenuem aqueamque olei substantiam exigat atq; consumat, non oleum inflammet, nidoremque illi imprimat.

Quod si tali oleo, quod hisce modis dulce candidumque factum, ab initio statim, priusquam ita alteratum, sal injectum fuisset, tùm si ea ratione, quæ supra monstrata, lotum fuerit, omnium sanè medicamentorum minimè mordax erit: geretque nomen olei ad unguem, quod omnia tùm humectat, tùm emollit, cùm scil. neque summè frigidum, neq; summè calidum fuerit applicitum.

Quòd autem oleum sic dealbatum & dulcoratum nullius sit acrimoniae & mordacitatis particeps.

ticeps, Galenus hunc in modum probat. Quod neque potum, neque in intestina infusum, neque lambendo deglutitum sensum mordacitatis, aut tussim movit, id omnis est acrimonia & mordacitatis expers. At tale oleum neque ventriculo, cum potum est, neque intestinis, cum per inferiora est infusum, mordacitatis sensum attulit, neque tussim movit, cum lambendo deglutitum. Ergo omnis est acridinis & mordacitatis expers.

Minorem probat experimento, & in semetipso, & in aliis facto.

Obijcies: Atqui oculis infusum, illos momordit. Respondet Galenus, sensum movisse quidem exiguum atque brevem: sed molestum fuisse potius *μὲν τῷ ἔνερῳ, καὶ αἰθεὶ μάλλον, ἢ τῇ δριμύτητι*, sola potius novitate & insolentia, quam acrimonia.

Tale igitur oleum minimè mordet. Mordet autem, cui sal permistum. Exiccat etiam, atque discutit, & adstringendo partes, quibus inungitur, corroborat. Id quod Galenus confirmat ex eo, quoniam si extra paroxysmum podagrae, aut arthritidis partibus affectis affricetur, hac ipsa prestare videmus.

Oleum autem dealbatum dulciusque redditum humectat, emollit, magisque lassitudinem levat, quam frictio sicca. Cohibet insuper occluditque, quicquid è nobis foras effluere natum est: non verò digerit, neque exiccat. Id quod etiam Dioscles olim docebat. l. 2. c. 18.

XV.

Rectene dixerit Archidamus, siccam frictionem esse æqualem, cum oleo verò institutam inæqualem? Galenus ait, omnes manifestò percipere, frictionem cum oleo factam esse æqualem; inæqualem contra, quæ siccis administrata manibus. Quod posterius sic probat.

In qua frictione manus fricantis cutem coadducunt, ac quasi dupbant, violentèque ac præter naturam complicant: dein ubi non ampliùs prior duplatio labentes sequi manus potest, ipsa recurrit, & ad continuùm revellitur: manus verò semel ac uno impetu in alteram cutis partem transeunt, inferiorem transgressæ duplationis partem, ea non modò inæqualis est, sed etiam dura ac laboriosa. Atqui si frictio fiat siccis manibus, hæc accidunt. Ergo hæc frictio est inæqualis, quæ non omnes cutis partes tangit, dura quoque & laboriosa.

Duram esse & laboriosam, sic ostenditur. In qua frictione cutis violentè tenditur & concutitur, ea est dura & laboriosa. Hoc fit in frictione, quæ siccis fit manibus. Ergo dura est & laboriosa.

Inæqualem verò esse, hoc pacto declaratur. In qua frictione fricantes manus non in omnes cutis partes incidunt, sed infernam duplationis partem perpetuò transiliunt, ea est inæqualis, quia non equaliter cutem totam fricat.

At in frictione sicca manus fricantes non in
omnes

omnes partes incidunt. Ergò est inequalis.

Minor probatur. Quæ pars naturaliter aspera est & laxa, illa in causa est, quò minus manus fricans in omnes cutis partes incidat. At cutis est naturaliter aspera, & potissimum in natu grandioribus: est quoque laxa, cum in aliis prope modum omnibus, tam in gracilibus maxime atque senibus. Ergò in causa est, quò minus manus fricans in omnes cutis partes incidat.

Quòd autem cutis sit aspera & laxa, hac ratione planum fieri potest. Si cutis tota æquabiliter esset levis & exactè tensa, haud facile plicari posset, nec inequales in se manuum efficere decursus, sed facile antrorsum percurrerent manus, à primis ad reliqua promptè delabentes, nempe cum nullam secum cutis partem ducerent. Atqui plicatur facile. Ergò non levis & exactè tensa, sed aspera & laxa est. Idedque etiam, cum laxa sit & aspera, externo quopiam eget medicamine, quod & rugas ejus impleat, & fricantibus manibus lubricitatem præbeat, quas ad res n. ii aptius inveniri potest oleo. l. 2. c. 19.



COROLLARIA.

I.

REtène Galenus c. 1. l. 2. hujus operis foliis hominibus Rationem inesse dicat: in brutis eam neget? Plutarchus peculiari libello,

& Porphyrius l. 2. de Carnium esu multis argumentorum momentis probare satagunt, etiam bruta rationalia esse, non solos homines. Lubez ex multis meminisse sequentium. I. quia multa egregiis sunt praedita virtutibus: Apes iustitia: Ciconia erga parentes gratitudine & pietate: Turtures castitate: Oves patientia, & innocentia: Gallinacei fidelitate erga suas gallinas: Grues vigilantia: Formica diligentia & providentia, Leones fortitudine, & sic deinceps. II, quia non pauca vitiis laborant: ut Tauri feritate: Lupi crudelitate: Porci immundicie, spurcitie, & voracitate: Hirci salacitate: Cuculi ingratitude: Vulpes astutia & calliditate: &c. III. quia affectibus agitantur, ira, invidia, odio, gaudio, metu, tristitia, zelotypia, &c. IV. quia memoria valent. Repetunt enim nidos: heros suos agnoscunt, usque diu non visis abblandiuntur, quod canes precipue facere videmus. V. quia robur & imbecillitatem suam norunt. Robur quidem Leones, Ursi, Lupi, Tigrides &c. Propterea alia animalia invadunt. Imbecillitatem vero Mures, Lepores, Oves &c. Ideoque majoribus & robustioribus cedunt, fugaque sibi consulunt. VI. quia quae proficua sunt in victu prosequuntur: quae noxia fugiunt. VII. quia multa singulari arte atque ingenio miro nidos & domicilia sibi parant. VIII. quia non pauca opera alia conficiunt stupenda, & hominibus inimitabilia: Apes favos: Aranea telas, IX. quia in
nutrio-

nutritione, educatione, & defensione suorum foetuum valde sunt assidua. X. quia quaedam illorum discunt saltare, loqui, canere, ridere, certamina inire, currus trahere, facere alia ad nutum & arbitrium suorum informatorum. Exempla de Canibus, Equis, Ursis, Psittacis, Picis, Falconibus & Accipitribus sunt notissima. XI. quia non pauca, etiam alias ferocia, cicurantur. XII. quia Canes, Lupi, Equi, bruta alia, in rabiem aguntur atque furorem, qui privatio mentis est atque intellectus.

Sed haec & similia argumenta alia levioris sunt momenti, quam ut fidem facere queant, bruta ratione praedita esse. Hanc enim solius hominis propriam esse docent Sacra litera, Ecclesiastici c. 17. v. 5. & 6. & Psal. 32. v. 9. Docent & Philosophi plerique omnes, ac praecipue Aristoteles multis in locis. Etenim l. 7. polit. cap. 13. & problem. 55. §. II. dicit, solum hominem ex omnibus animalibus ratione praeditum esse. L. 1. c. 1. de hist. an. inquit, animantium omnium solum hominem esse βουλευτικόν, consilij capacem. Item, solum hominem ἀναμνηστικόν, reminisci. At ἀνάμνησις ratiocinatio quaedam est, qua ex prioribus & notis ad posteriora & minus nota progredimur, horumque notitiam investigamus, ait idem l. de memor. & recordat. Libro 4. hist. an. c. 9. l. 5. gen. an. c. 7. & l. 1. polit. c. 2. scribit, solum hominem esse διαλεκτικόν, & τὸν λόγον, orationem, hominis esse propriam. At sermo
nuncius

nuncius est & interpres mentis ac rationis. Unde
à Damasceno ἀγγελος νοητικός & appellatur. Est
quoque in scholis Logicorum illud tritum & usi-
tatum, quòd solus homo sit γελᾶσικος, risibilis, &
quòd ridere proprium illius sit καθ' αἴθε, quod
universa inest speciei, eidemque soli & semper
insit. At risus à ratione proficiscitur.

Argumenta Prophyriana abeunt in fumum,
si distinctiones & limitationes aliquot observen-
tur. Nam si Virtus propriè accipiatur, scil. pro
habitu vel intellectuali, vel morali, brutis tribui
nequaquam potest. At si sumatur impropriè, nem-
pè pro bonitate naturali, virtutem illis concedere
possumus. Eadem ratio est Vitiorum. Propriè
usurpata, quatenus extrema sunt virtutum, solis
insunt hominibus. Impropriè, quando pro mali-
tia naturali habentur, tam brutis, quam homini-
bus adscribuntur. Affectus & παθήματα animi
mentem & intellectū minimè presupponunt. Pos-
sunt etiam sine eo alicui inesse animali. Mem-
oria similiter esse patet sine intellectu. Ea ergo
posita, non necessario intellectus infertur. Cogni-
tionem habent bruta sensitivam: intellectiva
carent. Opera conficiunt admiranda, non ratio-
ne, sed ductu instinctuque naturali: quo etiam
de nutritione, educatione & defensione sua sobo-
lis sunt sollicita. Loquuntur, canunt, ri-
dent, actiones hominum quasdam alias imitan-
tur, non naturā, non intellectu, sed assuefactione.
Estque locutio, cantus, & risus eorum non verus,
sed

sed analogicus, & potiùs simulachrum atque umbra quaedam locutionis, cantus, & risus, quàm verus & òides atque ουνούμωος dictus sermo, cantus, risus. Cicurantur itidem assuefactione, metu & verberibus: ferae tamen natura igniculi semper elucere solent, praesertim si offendantur, quemadmodum Leonum, Ursorum, aliorumque animalium exempla docuerunt. Rabies brutorum neutiquam privatio mentis est: sed lesio phantasiae & imaginationis. Quò etiam excellentior in brutis est phantasia, quae in illis est facultas animi suprema, eò magis ad rationem accedere videntur.

II.

An omnia, quae rubent, igneae sint naturae? Ignis quidem flamma rubet: sed non omnia, quae rubent, ignea sunt. Exemplo sint Rosa rubra, Balauſtia, Papaver erraticum, Fraga, Mora immatura, Corallia rubra, Santalum rubrum, plurima alba. Non enim omnis rubedo ab igne oritur: sicuti neque omnis albedo à frigore procedit. Multa quippe, quae albo colore tincta, praecalida sunt: ut Arsenicum album, Calx viva, Sal, Tartarum album, Mercurius sublimatus & precipitatus, Alumen ustum &c. Rursus plurima, quae alba, frigida sunt complexionis: ut Rosa alba, Viola alba, Nymphaea, Papaver album, Corallium album, Semina frigida majora, Hyoscyamus albus, Santalum album, Ovi albumen, Tragacantha, Ossa, Membrana, Pituita &c. Fatemur quidem, plurima rubro colore

colore donata precalida esse: ut Crocum, Cinnamonum, Cassiam ligneam, Minium &c. sed omnia talia esse inficiamur. Ideoq; rectè docet Galenus, nihil certi ex coloribus de qualitatibus simplicium statui posse.

III.

An Camphora calida sit, an frigida? De hoc problemate diversorum Authorum diverse sunt sententia. Multi dicunt, esse calidam. Probant id argumentis sequentibus. I. quia acris est. II. quia odorata. III. quia tenuissimarum partium, aded ut vis illius facile exolescat, nisi probe asservetur. IV. quia pinguis & oleosa. V. quia facile inflammatur. VI. quia valde levis. Contra, plerique, inter quos Fernelius est l. 6. m. m. c. 1. Avicennam l. 2. tract. 2. c. 134, Averroem l. 5. coll. c. 50, & Serapionem l. de simpl. ex plantis c. 344. secuti, Camphoram frigidam & siccam statuunt, & quidem gradu tertio. Planum hoc faciunt ex viribus atque effectis, quæ ex Avicenna, Averroë, Serapione, Mesue, & Rhasi depromunt. Restinguit enim ardores capitis, hepatis & renum. Arceat phlegmonas vulnerum & ulcerum. Mitigat fervorem erysipelatum. Sistit hæmorrhagiam narium. Gonorrhœam & fluxum mulierum album cohibet. Libidinem delet veneream. Collyriis admista utiliter ad calidas oculorum lachrymas imponitur. Vigiliam inducit. Nonnulli, inter quos Joh. Crato, consil. 75. asseverant, Camphoram, non secus, ac oleum Vitrioli, cum calefacientibus calefacere, cum refrigerantibus refrigerare. An-

Andernacus dial. 5. de vet. & nov. med. f. 180.
persuasum habet, constare Camphoram partibus
diversis, frigidis scil. & calidis.

Quidam, qui calidam esse Camphoram defen-
dunt, asseverant, quando Arabes docent, Campho-
ram calidam capitis intemperiem refrigerare, non
de nostra hac Cāphora istud proferre, sed de suc-
co, vel gummi alio, quod tamen non exprimunt.

Alij credunt, Camphoram ad calidam capitis,
oculorum, hepatis, aliarumq; partium δυσπρασιαν
corrigendam adhiberi, non quòd reverà refrigeret,
sed quòd summè ob partium subtilitatem pene-
tret, sicque medicamentis, quib; permista est, viam
quasi sternat, eaque instar alicuius vehiculi ad
loca affecta deducat.

Denique sunt, qui arbitrantur, refrigerare
Camphoram non per se, sed per accidens solum, eò
quòd partium calida laborantium intemperie ca-
lorem extrahat. Scimus enim, ambustis Cepas cum
sale tufas applicari, non ut refrigerent, sed ut
empyreuma evocent. Vtrumq; enim simplex, Cepas
& sal, calidum est.

Nos clarissimi Cratonis sententiam probare
non possumus. Quodlibet enim simplex suum ha-
bet temperamentum, à primordiis generationis
sue acceptum, pro cuius ratione, nisi impediatur,
agit. Ideoq; si sit calidum, calescit: si frigidum
refrigerat: & nequaquam se ad actionem sibi
contrariorum accommodat.

Andernaci placitum eatenus placet, quatenus
contra-

contrarias quandoque partes uni alicui simplici
inesse asserit. Camphoram tamen ob allatas ra-
tiones à predominio calidam esse putamus.

Qui camphoram penetrare, & aliorum esse
vehiculum suspicati sunt, nil absurdi docent. Ta-
le enim esse tenuissima illius substantia probat.

Qui uredinem partium evacuare dicunt, si-
militer non fallunt, neque falluntur.

Mantissæ loco quæri posset, quidnã sit Cam-
phora? Fuchsius l. I. de compos. med. c. 20. existi-
mat, esse liquidi Bituminis genus, veteribus Grecis
incognitum. Oriri in maris fontibus, & aque ma-
rinae supernatare. Copiosam nasci, cum terra cre-
bris motibus conquassata magnam tam sulphuris,
quàm Bituminis vim profundit. Platearius sibi
imaginatur, fieri Camphoram ex succo cuiusdam
herbæ, idq; Dioscoridis testimonio probare cona-
tur. Sed hallucinatur plurimum. Nullibi enim
Dioscorides Camphoræ ineminit. Hallucinatur
& Fuchsius: eumq; refutat authoritas Avicennæ,
Serapionis, & Lusitanorum, qui in Calecuta na-
vigarunt. Ajunt enim, Camphorã resinam, vel la-
chrymam esse arboris cuiusdam vastissima, quæ in
meditullio ejus nascatur, & per rimas postea illius
exudet: id quod clarè patet in asseribus, & ta-
bulis ex eadem arbore confectis. Avicenna scri-
bit loco allegato, se lignum illius arboris sepe vi-
disse: & lignum illud esse album, fragile, leve, in
cujus ramis quãdoq; aliquid contineatur Campho-
phora. Oculatis igitur testibus magis credendum,
quàm auritis.

F I N I S.

21a 2663

ULB Halle 3
006 549 195



1009

MA

6



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black

